# *Vergil's Aeneid I.494-519*

Haec dum Dardaniō Aenēae mīranda videntur,
dum stupet, obtūtūque haeret dēfīxus in ūnō,
rēgīna ad templum, fōrmā pulcherrima Dīdō,
incessit magnā iuvenum stīpante catervā.
Quālis in Eurōtae rīpīs aut per iuga Cynthī
exercet Dīāna chorōs, quam mīlle secūtae
hinc atque hinc glomerantur Orēades; illa pharetram
fert umerō, gradiēnsque deās superēminet omnēs
(Lātōnae tacitum pertemptant gaudia pectus)
tālis erat Dīdō, tālem sē laeta ferēbat
per mediōs, īnstāns operī rēgnīsque futūrīs.
Tum foribus dīvae, mediā testūdine templī,
saepta armīs, soliōque altē subnīxa resēdit.
Iūra dabat lēgēsque virīs, operumque labōrem
partibus aequābat iūstīs, aut sorte trahēbat—
cum subitōo Aenēās concursū accēdere magnō
Anthea Sergestumque videt fortemque Cloanthum,
Teucrōrumque aliōs, āter quōs aequore turbō
dispulerat penitusque aliās āvexerat ōrās.
Obstipuit simul ipse simul perculsus Achātēs
laetitiāque metūque; avidī coniungere dextrās
ardēbant; sed rēs animōs incognita turbat.
Dissimulant, et nūbe cavā speculantur amictī,
quae fortūna virīs, classem quō lītore linquant,
quid veniant; cūnctīs nam lēctī nāvibus ībant,
ōrantēs veniam, et templum clāmōre petēbant.